MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (TEIL I)

Zwettl, 1. Viertel 13. Jh. Seite 27r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Solo iuuenes nubere, filios procreare, patris familias esse, nulla occasionem dare maligno. Pro quo rogamus te ut nobis consentias hortantibus, et ut legi dei obediens esse uidearis. Iulianus respondit: Hec uoluntatis sic etatis tempus est, ut faciam quod hortamini. Parentes dixerunt: Annorum es decem et octo, quomodo excusare te potes ne coniugio socieris? Nolumus ut decipere causeris; uolumus enim te unius mulieris esse uirum, ut concessa procreatione letari possis cum pater filiis. Agebant autem parentes quomodo aut qualiter eorum semen resuscitaretur. Cumque parentum et amicorum molestias non sufferret, ait: Nec permittendi mihi facultas est, nec denegandi potestas. Hoc quod hortamini in potestate dei committo. Pro quo rogo te, vii dierum inducias peto, et quod ipse dignatus fuerit aspirare, hoc a me responsum accipietis. Hec audientes parentes eius nimio tedio afflicti cogitationibus tabescebant, quousque dies statutus ueniret quo responsum filii reciperent. Puer uero spacium dierum exegit, et die noctuque in orationibus peruigilans postulabat a domino ne uirginitatem permissam quilibet uiolaret occasione. Octauo enim die corpus maceratum ieiuniis nocte soporans apparuit illi dominus, et consolatur fidelem seruum probatum, sic mentem corroborat, et iuxta preceptum ut faciat iubet, et ita eum alloquitur: Surge, ne timeas uerborum suasiones, nec uoluntatem parentum perhorrescas. Accipies enim uirginem, que te non polluendo separet a me, sed tecum uirgo perseuerabit, et te et ipsam in celis uirgines recipient. Multorum enim in uobis castitas dedicabitur. Adero tibi ut omnes uoluptates carnis et hostis libidines conterantur, et ipsam que tibi fuerit iuncta coniunctam in meum amorem tuamque sequipedam faciam. Ubique me in cubiculo preparatum uidebis. Et dominus tetigit eum et dixit: Viriliter age et confortetur cor tuum. His uerbis roboratus Iulianus exurgens gratias deo referebat, et completa oratione egreditur letus de cubiculo, et ait parentibus: Ecce sicut desideratis, quia ex diuino precepto mihi peccatum non esse coniugium cognoui, sed gratias. Faciam quod hortamini. Inquiritur que illi similis esset, et preparante misericordia domini inuenitur puella facultate locuples et nobili genere Basilissa, que unica parentibus esse dinoscitur. Ordinantur nuptie. Iulianus uero ita diem nuptiarum expectabat quasi bonus athleta, deuicta libidine regi celorum placere studens. Ueniente die statuto sonant platee organorum fremitu, diuerse uoces musicorum. Resultant multitudines uirginum aureis ornamentis expansis crinibus, ad quarum suauissimas uoces si homo ferreus esset soluerentur delectamento luxurie. Iulianus autem occulta cordis nulli manifestabat nisi domino, a quo spem promisse uictorie tenebat. Suscepit itaque sponsam letus, et in corde suo psallebat domino dicens: Ure renes meos et cor meum, ne in me antiquissimus serpens libidinis suscitet bellum. Appropiat hora qua ad thorum coniugii properaret. Ultaque sic uirgine certus de domino cubiculum ingreditur. In qua oratione facta talis odor liliorum et rosarum apparuit, ut uideretur uirgini locus in quo solent lilia et rose uernantes suo tempore suauitatem propinare. Facto autem silentio noctis dixit uirgo ad iuuenem: Miram rem sentio. Quam et tu si sentis, ne mihi neges. Cui Iulianus respondit: Quem sentis? Fideliter enarra. Ait uirgo: Dum tempus sit hyemis, et omnem rosarum et liliorum natiuitatem terra nondum parturiat, ita in hoc cubiculo odor mihi omnium famulatur, ut his suauissimis odoribus satiata, horream nec penitus desiderem feda thori coniunctionem. Cui Iulianus respondit: Odor suauissimus qui tibi apparuit non initium habet nec finem, qui temporibus dat tempora, qui singulis temporibus dat gratiam; ipse est dominus Christus, qui est amator castitatis, qui integritatem corporis custodientibus uitam reddet eternam. Si uolueris monita mecum uelis suscipe ut eum amemus, et uirginitatem concessam inuicem custodiamus, efficiemur in hoc seculo uasa eius munda in quibus habitet, et cum ipso regnabimus in futuro, nec ab inuicem separabimur. Basilissa respondit: Quid melius quam in uirginitatem custodiendo uitam eternam adipisci? Quod credendo ita esse, ut prestaris, opto tibi consentiens esse, ut possideam eternum sponsum dominum Iesum Christum. Hec ea dicente procidit Iulianus in orationem, clamabatque dicens: Confirma hoc deus quod operatus es in nobis. Hoc uidens uirgo, similiter fecit. Et subito fundamenta cubili commota sunt, et lux emicuit, ita ut luminaria que aderant illius luminis magnitudine uelarentur. Fit in cubiculo spectaculum magnum spirituale. Ex una parte sedebat rex eternus dominus Christus cum multitudine candidatorum, ex alia parte innumerabilis multitudo uirginum, quarum principatum uirgo gloriosa Maria tenebat. A parte regis clamabatur: Uicisti Iuliane, uicisti. A parte regine clamabatur: Beata es Basilissa que sic consensisti salubribus monitis, et fallacis mundi blandimenta respuens ad eternam gloriam properasti. Item a parte regis clamabatur: Milites mei qui uicerunt antiqui serpentis libidinem de pauimento leuent, et in tecto corde in thoro quod eis preparatum esse dinoscitur librum uite eterne suppositum legant. Huic uoci exutraque parte sedentes responderunt: Amen. Et uenerunt duo albis induti habentes circa pectora zonas, et singuli coronas in manibus eleuauerunt eos dicentes: Surgite quia uicistis, et in numero angelorum deputati estis. Aspicite quod uidetis in thoro uestro, legite et cognoscite quia fidelis est dominus in uerbis suis et sanctus in omnibus operibus suis. Et tenentes eorum manus applicuerunt eos, et super positus erat liber septies splendidior argento, litteris aureis scriptus. Et in circuitu thori iiii seniores habentes in manibus suis fialas aureas plenas diuersis aromatibus odorem reddentes. Et respondens unus ex his dixit: Ecce in his iiii fialis continetur perfectio uestra. Ex his enim in conspectu domini suauitatis odor ascendit. Dixitque ad Iulianum: Ascende nunc Iuliane, et lege que una trinitas iubet. Et cepit legere: Qui propter amorem meum mundum contempserit, deputetur in eorum numerum qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Basilissa uero deputetur in numero uirginum, quarum uirgo mater domini principatum tenet. Item dixit ad eos: In hoc libro scripti sunt ueraces, sobrii, misericordes, humiles et mansueti, caritatem habentes non fictam, aduersa tolerantes, in tribulatione patientes, qui super amorem domini nichil pretulerunt, non patrem, non matrem, non filios, non diuitias, non cetera que in hoc seculo impedimenta sunt, qui non ipsas animas dubitauerunt tradere in mortem pro nomine Christi. In quorum numero et uos esse meruistis. Et statim uisio ab oculis eorum ablata est. Tunc exultantes in domino bini uirgines reliquum spacium noctis peruigiles in hymnis et canticis peragunt. Quod